



1. Conring de antiquissimo statu Helveticis. 1685.  
 2. Nestorii Catalogus Epistolarum Alberstadtensium. 1586.  
 3. Sagittaria Historia Alberstadtensis 1675.  
 4. Seimannii Historia Arcanensis. 1708.  
 5. Antonij Vita Haymooris. Ep: Halberst. 1700.  
 6. Hecht de Wicmarie Archip: Meydenb. 1710.  
 7. Schmidt über Microscop: Henris Leonis. 1711.  
 8. Lech: Hartk Epistola de odalris Ep: Halberst. 1707.  
 9. Hahnii Diplomata Fundacionis Bergensis. 1710.  
 10. Meyer de claris Fischens. 1695.  
 11. — de hisoriarum mynitionibus et laniis Bohemis. 1710.  
 12. Madery de S. Laurentio et Maria. Sheniscensi. 1688.  
 13. Melibon de Onyine Gentis Helimburgicæ. 1683.  
 14. Melle de istherby sacris Lubecensium 1711.

45 Pps  
0080



G. q. 127.

Hitz O. 2. lit. F. nr. 13



6.  
Q. D. B. V  
AVSPICIIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
**FRIDERICI AVGUSTI**  
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI  
ETC  
EX HISTORIA SECVL XI  
DE  
**VVICMANN**  
ANTISTITE MAGDEBURGICO  
PRAESIDE  
**M. GODEFRIDO HECHTIO**  
IVTREB. SAXONE  
V NONAS MAIAS  
A. R. G. C I C I C C X  
DISSERET  
RESPONDENS  
**IO. GEORGIVS MERCKERVS**  
MVGELENSIS SAXO  
—  
VITEMBERGAE IN SAXONIBVS  
EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDTERI ACAD. TYPOGR.



**E**adem, quam dedi nuper, liberaturus ad il-  
lustrandam patriae historiam me ite-  
rum conuerto, ac priusquam de iis, quae  
recentiora sunt, et nostraet aetati acce-  
dunt proprius, agere instituam, ab con-  
ditore illius ordior, eiusque uitam et  
res gestas, quoad per illius aeui, quo uixit, obscurita-  
tem fieri poterit, breuiter strictimque commemorabo. Is  
uero VVICMANNVS\* est, seculi sui Antistes toga sago-  
que illustris, uirtutis, et multarum, quas gessit, rerum glo-  
ria immortalis. Natus is Seburgi \*\* in Boii est, parentes  
nactus, illustri Vicmannorum, *Comitum*, familia oriundos.  
Ac patrem quidem agnouit Geronus, *Comitem*, Hathuui-  
gis, religiosae in coenobio Gerenrodeni Sacerdotis, \*\*\*  
fratrem: matrem uero Mechtildam, quae originem ge-  
neris ab antiquis Misniae *Marchionibus* refert. Patrem  
namque habuit Timonem, initio Landsbergensem, post  
Misnicum, *Marchionem*, matrem cognomine Idam, Otto-  
nis, *Ducis* Northeimensis, filiam. Ex hac Ida tres Timo-  
suscepit liberos, Dedonem, *Marchionem* Landsbergensem,  
Coenobii Montis Sereni, propter Halas Saxonum, condi-  
torem, Conradum, *Marchionem* Misnicum, et Mechtil-  
dam, Geroni in matrimonium, Anno crōcxxxiii, colloca-  
tam, uti memorat Laur. Peccensteinius in Vita Thimo-  
nis, et in familiis Saxo Vitechindeis, f. 5, b. El. Reu-  
nerus Leorinus in Stem. Vitechind. f. 28. confer. in pri-  
mis Annales Montis Sereni, quorum auctorem Georg.  
Fabricius et Petrus Albinus Conradum Lauterbergium  
nominant, p. 203, edit. Mader., Chronicon Veterocellense  
ad annum crōlui, quod magna ex parte depromptum  
ex Lauterbergio laudatus modo Fabricius iudicat, cuius  
uerba, in manu scripto, quo usus ille est, ad oram addita,  
haec sunt, *Hoc Chronicon, quod sequitur, impressum habe-  
tur, et inscribitur, Die Meissnische Chronicā, sed re uera Ve-*

tero Cellense est, et e Latino translatum, et magna ex parte sumptum e Conradi Presbyteri Lauterbergii, seu Montis Sereni, libro, qui de Dicibus Misericordiis scripsit diligentissime, ab anno Christi 110 cxxviii, usque ad annum Christi 119 cccxxv, quod integrum apud me extat. Ex hac Mechtilda Gero duos suscepit filios, Vicmannum alterum, alterum vero Conradum, quos laudat Auctor Annalium Mont. Sereni, loco paullo ante allato.

\* Alius, utpote Helmoldo, Arnaldo in Chron. Slav. et compluribus, Wigmannus, nonnullis, et in his Ottoni, Frisingenfi, Vicmannus, plerunque tamen, Guicmannus, appellatur. Ipse uero ita, ut ex Helmoldo iuxta ac Arnoldo probauit, nomen suum scribere est solitus, quod quidem ex tabulis confirmationis, Harbuuiae datis, quas paullo post adducam, nideri potest: interdum uero etiam Wigmannum se extulit, idque ex uno illo loco, qui extat apud Radenicum de rebus gestis Friderici I, Imperatoris, Lib. II, c. 70, constat, ubi Nostror reliquorum, qui Papiae Anno 110 CLX conuenerunt, Antisitum sententiae, qua, reiecto, propter coniurationem, cum Insubribus initam, Rolando, Victorem, Pontificem R. constituerunt, subscripsit, eamque firmam tamque existimauit. Plerique scriptores, praesertim recentiores, nomen eius per CH expresserunt. Nobis placuit Vicmannum, uti ipse scribere consuevit, et nummus, ab D. Io. P. Ludouico conservatus, probat, imitari.

\*\* Alii, et in his Andr. Brunnerus, L. XII Annal. Boiorum, Degenbergam, patremque Geronom, Scheuerensem Comitem, uocant. Nos, Pomarium, et plerosque secuti, Seburgensem, sive Segeburgensem, nominamus.

\*\*\* Patet id cum primis ex tabulis Vicmanni nostri, quas, cum permultum uique ad illustrandam eius familiam faciant, non alienum omnino erit, huc afferre. Verba autem ita se habent, Notum sit omnibus fidelibus, tam praesentibus, quam futuris. Qualiter ego Wigmannus, Dei gratia Cicensis Ecclesiae Episcopus, cum dilecta amita mea Hattuuiga, Gerenrodenensis Ecclesiae Abbatis, in hoc consensi, quod ipsa ex materna sua hereditate, voluntario consensu ceterorum coheredum nostrorum, quindecim mansos Domino Deo, et martyri suo, Cyriaco, in Gerenrode, pro commu-

commutatione aeternae hereditatis, obtulit et donauit. Quali  
autem prodidit haec oblatio sit facta, subsequens ostendit li-  
tem. Nam, post obitum dilectissimae aniae meae Berthae, cum  
ipsa Abbatissa Hathuunga, et sorore eius Eva, ac filio eiusdem  
sororis sua Theodorico Hallo conueni, ibique in praesentia auun-  
culi mei, Marchionis scilicet Conradi, et Marchionis Adalberti,  
ac filiorum suorum, Ottonis & Theodorici, et ceterorum nostrarum  
terrae nobilium: Ludouici de VVippere, Burchardi de Valchen-  
stein, Esci de Burnstede, Burchardi in Magdeburg praefecti, Fri-  
derici de Horenburg. Ipsa amita mea Abbatissa uiginti quinque  
mansos, me consentiente, hereditauit, ea ratione, ut ex his bo-  
nis quindecim mansos absque heredum contradictione, dandi  
uel offerendi liberum haberet arbitrium. Quos quindecim  
mensis Ecclesiae B. Cyriaci in Gerenrode per manum e-  
iusdem Ecclesiae Aduocati, Marchionis uidelicet Adalberti, con-  
tulit. Haec autem oblati bona in his uillis sunt sita: Vphusen-,  
Storchuege et Ceulize. Ut autem oblatio amitae meae firmior et  
stabilior sit, has literas, in testimonium liberae donationis, sigilli mei  
impressione signavi. Anno Dominicæ incarnationis millesimo  
centesimo, quinquagesimo secundo. Indict. Mart. Actum  
in Gernrode. V. Andr. Hoppenrodius, uel, ut alii, Poppenrodius,  
Annal. Gerenrodens. apud Meibom. Tom. II, f. 433. Addantur lite-  
rae Calixti, Pontif. R. in gratiam Hathuungis huius editae, c. 10 CL  
xxxi, in quibus Gero frater eius uocatur. Vid. l. c. f. 431. Vtriusque  
autem pater quis fuerit, ipse Hoppenrodius ignoravit, Berthae ma-  
tris utroque in loco mentio inferitur.

II. Illustris alioquin Vicmannorum, Comitum, familia  
est, horumque duo, pater aequo, ac filius, seculo a Christo  
nato X, imperante Ottone M., floruerunt, huiusque pro-  
pinqui fuerunt, quorum alter, parens quippe, Hermanni  
Billingi, Saxonie Ducis, frater, ab Vitechindo, Corbeiensi,  
Annal. L. II, appellatur vir potens et fortis, magnanimus,  
belli gnarus, et tantae scientiae, ut a subiectis, super a homi-  
nem plura nosse, praedicaretur. Is quidem, ob antelatum  
sibi Hermannum, fratrem, succensuit Ottoni M., atque,

orta

Orta de hereditate controuersia , una cum Thancmaro a-  
liisque, ab Ottone M. defecit, sed, pro singulari, qua polle-  
bat, prudentia et calliditate, dubium rei euentum animad-  
uertens, pacem cum eo fecit, neque eam deinceps unquam  
uiolauit. Alter uero, filius, idemque Vitechindo L.III Annal., iunior, nominatus, fidem, Ottoni M. saepius datam, et  
iureiuando firmatam, fregit. Hic enim, tametsi, utroque  
maturius extincto parente, educatus ab illo, et in filii habi-  
tus loco, fuerat, tamen, in supplementum exercitus, qui  
Moguntiam obsidebat, hinc in Boioariam contendebat,  
missus, cum *Thiaderico* (Diterico), corrumphi se pecunia ab  
Ludolpho, Ottonis M. filio, est passus, quietisque impatiens  
ei non semel restitit, et captus denique, in custodiam  
que datus, hac ipsa liberavit se, causam interferens, uena-  
tionis causa, in syluam se iterum, ab Ibone, qui custos ei ab  
Imperatore Ottone M., in Boioariam profecto, positus e-  
rat, subduxit se, et facinoris socios, qui in sylua latuerant,  
eumque expectauerant, recepit secum in patriam, ibique  
iterum, ascitis Ecberto et Slavis in subsidium, cum, Her-  
manno potentia se inferiorem, intelligeret, permultas oc-  
cupat urbes. Vterque, Vicmannus et Ecbertus, propterea  
ab Ottone, Imp., hostes publici pronunciati, et bello fracti,  
ad Hugonem in Galliam configurerunt. Inde, quieta Saxo-  
nia, reuersi noua moliuntur. Ecbertus tandem recipitur  
in gratiam, aliquanto post, at aegre, Viemannus. Quamuis  
iureiuando fidem promiserat, tamen iterum rebellare est  
ausus, et partibus Slavorum se dedit, atque multa, non si-  
ne fraude, commisit, donec proelio uictus tandem supera-  
tusque poenam uiolatae fidei et periurii soluit, calamitati-  
busque exagitatus periiit. V. Vitechindus Lib. III Annal.  
Ditmarus Martisburg. I. II, p. 24, edit. Mader. Andr. Hop-  
penrodius Annal. Gerenrodensibus, apud Meibomium,  
Tom. II rerum German. p. 420, seq. H. Meibomius in Vin-  
diciis

diciis Billiganis l.c. Tomo III, p.42, 43, Albertus Cranzius  
in Saxoniam L.IV, c.14. Ab his Vicmannis utrum Noster ori-  
ginem repeatat, nemo obscuri illius aeni scriptorum, quod  
equidem sciām, memoriae prodidit, si nero ex Vitechin-  
do colligere liceat, praeter *Comitatum*, quem in Saxonibus  
habuerunt, cuiusque meminit Henricus I, Imp., in tabulis,  
A. crō ix latis, apud Fr. Henr. Bodonem, *Synt agm.* de Con-  
struzione Coenobii Gandesheimensis, f.499, Tom. II, edit.  
Meibom., fortunarum quoque domicilium in Boiiis habu-  
erunt, et bello perinde, ac Noster, eluxerunt, alterque, fi-  
lius, ab Ditmaro Lib. II, p.21, *Comitis* titulo ac nomine insi-  
gnitur. Sed nihil ipse ego, hic pro certo ponendum, puto,  
cum de eo nihil tradiderint annalium conditores.

III. Diuersi autem ab Nostro sunt duo isti Vicmanni,  
quorum pariter fit mentio, horumque alter ad templum  
D. Geronis, quod Coloniae in Vbiis est, Sacerdos fuit,  
quod ex Annalibus Montis Sereni ad annum crō c x x x vii,  
p.15 refero : alter, eiusdem nominis, seculo fere post, homi-  
nem quendam, Halis Saxon. coquendo sali operantem, ab  
interitu vindicauit. Acciderat namque, ut homo iste, ad-  
missorum impetraturus ueniam, aliquot geniorum consi-  
lio, in feruentem sartaginem immiserit se, mortemque  
adeo subitam sibi conciliarit. Ad quem accersitus ille  
Vicmannus, ea re cognita, non ad Diuos, ex more Pontifi-  
ciorum, remisit hominem, sed, ab uno salutis auctore, Deo,  
auxilium proxime expectare, iussit. Quod consilium secu-  
rus iste est, animoque ad melioris uitiae spem erecto, mi-  
grauit ex hac uita. Chron. Mont. Ser. ad an. crōccxxiv, p.167,  
seqq.

III. De eo, quo uidelicet anno, quoque sit die Vicman-  
nus Noster natus, nihil, ut fere solent, istius aeni memorant  
Annalium conditores. Illud certum est, et uno omnes  
consensu tradunt, summis functum muneribus fuisse, at-  
que

que in bello praesertim eluxisse, ut quoque magnam sibi  
auctoritatem conciliauerit et famam, atque, *bellicosus*, me-  
ruerit exinde appellari. V. Chron. Mont. Ser. ad an. cīcxcii,  
Gabriel Bucelinus German. sacr. parte I, qui, dicente Ban-  
gerto, perperam eundem statuit, XVII Antistitem Magde-  
burgicum, cum reliqui omnes, XVI fuisse, scribant. Idem  
ille Bucelinus illustri C.S. Schurzfleischio, *in disp. de Her-  
fordia, diligens quidem ac pereruditus uocatur Monachus,*  
*sed in scribendo monumentis destitutus,* addatur Banger-  
tus in Notis ad L.II, c.25 Chron. Arnoldi.

V. Initio *Episcopatui* Cicensi et Numburgensi Antisti-  
tis nomine praefuit, et Vdoni I, qui anno cīcxlviii nau-  
fragio periit, successit, et xiii in ordine fuit. G. Fabricius,  
in Rebus memorab. Saxonis, ad A. cīccl, f. 194, me-  
morat, eundem ab Imperatore eo impositum, ut Gunthero  
II, Comiti Bremensi, succederet, adeoque XIV ordine esset.  
Sed, hunc Guntherum, fuisse ibi Episcopum, praeter Fa-  
bricium, nemo ex iis annotauit, qui omnes, quotquot ab  
condito Sacerdotio isto ibi fuerint inquam, recensuerunt.  
Hi enim, omisso Gunthero, nostrum, anno iam tum cīc  
xlii, in ordine xiii fuisse constitutum, tradunt. Paulus  
Langius in Chronicō Cicensi, f. 786 magnifice de Vicman-  
no nostro loquitur, eumque *de alto et Palatino genere,*  
*procreatum,* scribit, et, plura se de eius genere infra dictu-  
rum, promittit, sed nihil reperitur, unde non incommode  
coniicit Caspar Sagittarius in Historia Episcoporum Num-  
burgensium, § xv, ea, quae de Vicmanno et successore  
eius, Bertholdo, commemoranda fuissent, iniuria tempo-  
rum interiisse. Ceterum Sagittarius, eo in loco, uitam  
Vicmanni breuiter recenset, et reliquorum, qui Numbur-  
gi fuerunt, Antistitum, Guntherum uero plane praeter-  
mittit. Neque illud cum rationibus temporum congruit,  
quando Auctor Annalium Magdeburgicorum apud Mei-  
bomi-

bomium Tom. II rer. German. f. 321, qui desit in an. ccccxxii,  
adeoque multo recentior est, memorat, Vicmannum ab  
Hardeuico, IX Magdeburgensium Antiftite, in *Episcopatum*  
*Cicensem* fuisse introductum et ordinatum, cum ta-  
men ipse annalium Conditor scribat, Hardeuicum iam  
ineunte seculo XII, anno secundo, decessisse e uita.  
Vicmannus uero longo demum tempore post, anno ui-  
delicet octauo et quadragesimo, uel secundum Fabricijum,  
breui post, et quidem Hardeuico iam pridem uita fun-  
cto, Cicum peruenit, quod ex scriptoribus, qui eius-  
dem aeratis fuerunt, rectius, quam ex *Anonymo*, qui infe-  
rior illis est, probari potest. Praeterea in reliquorum, qui  
Magdeburgi uixerunt, Antiftitum uitis perscribendis co-  
piosus est, de Nostro autem, quod miror, per pauca affert,  
ex quo iudicare licet, idoneis auctorem monumentis, quae  
eo spectant, fuisse destitutum.

VI. Ciciensi cum annos quatuor praefuisse Vicmannus,  
tandem, Cranzio indice, dignus maiori loco, Magdebur-  
gum est translatus, atque in primis auctoritate Friderici  
Aenobarbi, Imp., consilioque Arnoldi, *Abbatis Bergensis*,  
summam Antiftitis Magdeburgici dignitatem, circa An. se-  
culi huius, quo uixit, secundum et quinquagesimum, suscep-  
pit. V. Henr. Meibomius Chron. Coenobii Bergensis, Tom.  
III rer. Germ. f. 298, sub Arnoldo. Auctor Chronicu Montis  
Sereni, et, quotquot securi illum sunt, referunt, in usitato  
fere modo hanc obtinuisse dignitatem, quod designati  
duo, *Hazzo* et *Gerardus*, de principatu inter se decerta-  
runt, nec Imperator, ad quem, in Saxonia tum commoran-  
tem, eius rei causa, adierunt, conciliare eos ulla ratione  
potuit, tandem hic ipse interposuit se, atque alteri parti, ut  
Vicmannum, *uirum adhuc iuuenem, sed nobilem*, \* elige-  
rent, auctor sua forque fuit, et accessito omnia regalia, ut

23723

B

loquun-

quintur, quae ad ditionem Magdeburgicam pertinent, concessit. V.Otto, Frisingensis, Lib.II de gestis Friderici I, cap.6, Cranzius in Metrop. L.VI, c.35, Pomarius et VVernerus in Annalibus Magdeburgicis, de Vicmanno. Fabricius Rer. Sax.L.II, f.194, ad an.LII, qui ibidem f.195, ad an. LIV, Vicmanno in *Episcopatu* Numburgico successisse, scribit, Bertoldum, eumque fratrem Vicmanni vocat, sed, cum neque Auctor Chron. Montis Sereni, neque alii, praeter Dresserum, quod sciam, de hoc ipso quicquam prodiderint, his, cum nihil certi constet, auctoribus ea relinquio. Auctor, quem praedixi, Chronicus montis Ser. ad annum LII docet, Nostrum eo feliciter perficere conata potuisse, quod largitionibus aliisque rebus, quas eo ualere autumat, virorum, apud quos eligendi potestas fuit, fauorem sibi et gratiam conciliarit. Ea de re nihil memoriae prodidit Otto, Frising., qui unius Aenobarbi auctoritate eo peruenisse Vicmannum, probat, ac ipse Fridericus Aenobarbus, multas sibi lites et controverssias, ab Pontifice R. propterea motas, testatur in breui conspectu, quo res a se gestas Frisingensi perscribendas exponit, atque ad extremum, id quod laudabiliter a se factum dicit, *auctoritate Apostolica* nihilominus, quemadmodum deinceps docebimus, confirmatum fuisse. Otto, Frising., loco antea allato, sub initium, eo conferri potest.

\* *Nobiles quoque vocant scriptores huius aevi principi et illustri inter saos loco natos, quod ex Vitabendo, Ottone, Frisingensi, Sanblasiano, et pluribus scriptoribus, iam pridem obseruarunt eruditis bistoriarum commentatores.*

VII. Ea res ut est ab Gerardo, Romam profecto, ad Eugenium III, Pontificem, delata, indignissime hic tult, eodemque statim anno, quo Vicmannus Magdeburgici Antistitis honorem, beneficio Imperatoris, adeptus est, literas,

teras ad summos Germaniae Antistites dedit, quibus summam animi indignationem exposuit, eosdemque reprehendit, quod sacrorum iura, quae ad forum Pontificum pertinerent, eripere sibi ab Imperatore, et Metropoli Magdeburgicae alium, ac praeter omnium voluntatem, obtrudere permisissent, et imperauit, ut hortarentur Imperatorem, ne sua Antistitibus iura in sacris eripere amplius, sibique uendicare conaretur, sed liberam eligendi facultatem Sacerdotibus, speciatim Magdeburgicis, relinquere, et electionem deinde firmam ratamque iudicaret. \* Eo etiam, qui securus est, anno, nempe LIII, Purpurati duo, Bernardus et Gregorius, ab Romano Pontifice, huc dimisi, factum Imperatoris ulturi, cum Henricum, *Archiepiscopum* Moguntinum, et Burcardum, *Episcopum* Eistetensem, auctoritate Pontificis, consensuque Imperatoris, loco ac dignitate mouerent, praeter ceteros, Vicmannum quoque de gradu deiicere cupiebant. Sed enim, hos a proposito colibuit Imperator, atque, ut conatu isthac desisterent, sua auctoritate perfecit. V. Otto, Frisigenis, l.c. cap. 9, ad annum LIII. addatur Chronicum Mont. Ser. ad hunc annum.

\* *Ipsas Eugenii tabulas conseruanit Otto, Frising. de gestis Friderici I, L. II, c. 8, f. 450 ad an. circ. cccc. 11, ex quo omisso, brevitate causa, titulo, uerba ipsa, quae ad rem nostram faciunt, subiungo,, Literas, quas pro causa Magdeburgensis Ecclesiae uestra nobis prudenter delegauit, debita benignitate suscepimus. In lectione autem et cognitione earum stupore nimio et admiratione repleti sumus, eo, quod longe aliud in eis, quam Vobis ex officio Pontificatus imminet, perspeximus, conineri. Cum enim in Ecclesiae uertice sitis ex diuina prouidentia constituti, ut de medio eius, quae fuerint nocuas, propellere, quae utilia, debeatris attento studio conseruare, in causa ista, sicut ex suggestione literarum uestrarum nobis innotuit, non, quod expediat Ecclesiae Dei, quod sacrorum canorum sanctioni*

concordet, quod exinde a coelesti arbitrio approbetur, sed, quod terrenis Principibus placeat, attendisfis, et qui eorum animos a sua minus recta debuifis deflectere intentione, atque, ubi effet uia Domini, demonstrare, non persuafis, quod rectum est, nec fefatis murus pro domo IsraeI, quin immo ipfis, ut ait Propheta, parietem adfificantibus, Vos, quod sine grandi animi rancore uix dicimus, linuifis illum luto absque paleis. Non ita sentiebat Princeps Apostolorum, qui ex fidei fuae confeffione, ut totius Ecclesiae fundamen- tum effet, accepit: sed comminantibus seculi filiis, et Apostolis, si praedicarent in nomine Iesu, mortis exterminium intentantibus, confisus de Domini uirtute, respondit: Oportet obedire Deo magis, quam hominibus. Vos autem, ne a terrenis uideamini Principibus difffentire, illi caufae fauorem Vestrum impenditis, cui et ecclesiasticae auctoritas constitutionis, et supernae uoluntatis examen pro certo creditur obuiare. Cum enim translationes Episcoporum, sine manifestae utilitatis et necessitatis indicio, diuinae legis oracula non permittat: cum etiam multo amplior, quam in aliis electionibus cleri et populi eas debeat praeuenire concordia: infacienda translatione de uenerabili fratre nostro G V I C M A N N O, Cicensi Episcopo, nibil horum est, sed solus fauor Principis expectatur, et nec inspecta necessitate illius Ecclesiae, nec confidensa utilitate personae, Clero nolente, immo, ut dicitur, ex parte maxima reclamante, in Magdeburgensi cum dicitis supplendantum. Super quo tanto amplius admiramur, quanto persona illa, cuius grauitatis sit arque scientiae, ab ante artis agnouimus, ac perinde, quantum Ecclesiae illi sit utilis, non penitus ignoramus. Quoniam igitur quicunque temporalis aurae flatibus agitentur, nos in illius petrae soliditate fundati, quae in fundamento meruit Ecclesiae collocari, sicut non debemus, ita nec uolumus omni uento circumferri doctrinae, aut a sacrorum canonum rectitudine impulsu aliquo deuiare; per praesentia, Vobis scripta, mandamus, quatenus caufae isti fauorem ulterius non praefectis, et apud charifsum filium nostrum Fridericum, quem Deus hoc tempore pro seruanda libertate Ecclesiae in eminentiam regni euexit, efficere Vestris exhortationibus studeatis, ut et ipse a sua, super hoc, intentione defiat, et contra Deum, contra sacros canones, contra regiae dignita-

is officium, eidem cause fauorem suum ulterius non impendat,  
sed Ecclesiae Magdeburgensi, sicut et aliis Ecclesiis regni, a Deo sibi  
commis, libenim facultatem, quem voluerit secundum Deum, eli-  
gendi relinquit, et electionem ipsam, postmodum fauore suo, sicut  
decet maiestatem regiam, prosequatur. Nos enim, si quod de supra  
dicto fratre nostro facere nititur, uideremus ratione fulciri, nec  
uoluntati eius, nec postulatione uestrae duceremus aliquatenus ob-  
uiandum. Contm Deum autem, et sacrorum canonum sanctiones,  
nulli omnino petitioni possimus praebere consensum. Datum  
Signiae, XVI Cal. Septemb.

VIII. Neque propterea, quod ab Imperatore ad  
nouum illud honoris fastigium euectus fuerat, pallium,  
quod Antistitum horum insigne est, impetrare potuit,  
et frustra fuerunt omnia, quae biennium per nuncios,  
Romam dimissos, tentauerat, ac, licet, Eugenio rebus  
humanis erepto, Anastasius, qui illi suecessit, Gerardum,  
Purpuratum, componendi huius dissidii causa, Magde-  
burgum ablegaret, tamen nec Gerardus, quod male ibi  
rem, in praesentia Imperatoris, sacro in primis tempore,  
gesserat, destinata perficere potuit, sed, hinc, rebus in-  
fectis, et cum indignatione Imperatoris, discedere coa-  
ctus, in itinere decepsit, nec Vicmannus, quod, repetitis  
identidem precibus, quaesuerat, antea obtinuit, quam  
Romam ipse, commendarus ab Friderico, Imp., Pontifi-  
ci, cum nunciis profectus est, et contra eos, a quibus  
grauissime delatus fuerat, causam defendit suam. Otto,  
Frising. l.c. c.10, f. 49r. Cognito eius Romam aduentu,  
Pontifex, quia nemo, qui obstitisset, est repertus, palli-  
um in altari depositum, et Vicmanno, si legitimae electionis  
sibi conscient esset, ut tolleret, praecepit. Quod uero  
cum facere addubitaret, *Canonicus* quidam *Tidericus de*  
*Hildefloue*, et alias quisquam, quos itineris socios mo-  
do diximus, illum, ne haesitaret amplius, exhortati sunt,

palliumque suis manibus Vicmanno tradiderant. Quod a nemine, nisi ab auctore Chron. Montis Ser. ad an. c<sup>irca</sup> CLV obseruatum, legi. Sic itaque consecratus ille est, palliumque accepit, non sine multorum, qui inauguracioni interfuerunt, offensa et indignatione, qui inauditum hoc Friderici Aenobarbi esse factum, atque in Pontificem Maximum iniurium, dixerunt, causati, constitutions Antistitutum ad Ordinem sacrum potius, quam alios, omni tempore pertinuisse, ut eam in rem scribit Frisingensis l. c. L. II, c. 10.

IX. Nonnihil quoque dissentire inter se uidentur scriptores, dum alii, ab Eugenio III, alii uero, ab Anastasio, accepisse pallium, tradunt. Auctor Chron. Magdeburgici, cuius modo facta est mentio, et, qui hunc secuti sunt, Andr. VVernerus in Chronicō Magdeburgico, et G. Fabricius Memor. Rer. Saxon. f. 194, ab Eugenio III accepisse, scribunt. At enim uero, uti Auctor Chron. Mont. Ser., Otto Frisingensis, et Otto Sanblasianus in appendice ad L. VII Ottonis, Frisingensis, itemque Albertus, Stadensis, et numero plures, memorant, Eugenius anno LIII mortuus est, in cuius locum surrogatus est Anastasius, non ita multo post extinctus. Ex ordine, quem Auctor Chronicī Montis Sereni constituit, colligitur, Vicmannum anno c<sup>irca</sup> CLIV, pallii causa Romanum profectum. Quod si uerum est, non ab Anastasio, multo minus ab Eugenio, uti quidem illi existimant, sed ab Adriano, Anastasi successorē, accepit. Hinc potius Ottoni Frisingensi, crediderim, propterea, quod et Friderici I patrius fuit, et eius iussu res gestas descripsit, adeoque aetate proximus fuit. Is enim meminit epistolae Imperatoris, qua Vicmannum Anastasio, non Eugenio, uel Adriano, commendauit, quae tantum potuit, ut confirmata.

firmationem sui Vicmañtis, mox pallium quoque, impetrarit. Tum uero etiam aperte testatur, Gerardum, Purpuratum, ab Anastasio Magdeburgum, dissidiū componendi causa, missum, anno cīo c LIII, non tempore *Paschatos*, uti auctor Chron. Mont. Ser. cupit, sed natali Seruatoris sacro, eo ad Fridericum, Imp. uenisse. Ut nihil addam de eo, quod laudatus modo Otto, Frisingensis, anno LIII, quo Anastasius adhuc superstes fuit, haec facta, docet, Eugenii, uel Adriani ne uerbo quidem mentione facta.

X. Nunc, de rebus, quas domi forisque gessit, sequitur, ut ordine exponamus. In uirtutibus eius commoratur, quod omnia contulerit ad pacem et tranquillitatem publicam quoconque modo conseruandam. Hinc expeditionibus bellicis saepius interfuit, nulla fere res gesta est sine eo, eiusque opera ab reliquis, a quibus impense diligebatur, Principibus, propter eximiam prudentiae et calliditatis laudem, magni aestimata fuit. Ut quoque ex Cranzio, et, qui proprius illi aetate accedunt, haud obscure quis colligat, eos, qui domi fuerunt, in uitiis numerasse, quod rebus seculi magis, quam sacris quidem, quibus se se addixerat, deditus fuerit, inter armorum strepitum, quam in sacris, saepius commoratus, Metrop. L. VII, c. 25. Sed temporum horum accuratius intuenti conditionem constabit, non uni Vicmanno uertendum illud esse uitio, cum et alii, in his maxime Philippus, Coloniensis, Ulricus, Halberstadiensis, id fecerint, in multisque, siquidem pro uitiis istorum temporum omnia sint habenda, superarint.

XI. Sed, ut proprius ad rem ipsam accedamus, certum est, Vicmannum mature admodum, quid uirtute ualeret, ostendisse, et reliquis, qui contra hostes, exterros cum primis, pugnabant, Principibus subfido uenisse. Praeter ceteros



teros uero Fabricius memorat Orig. Sax. L. V, f. 54r, ad an. c. 947, Nostrum, ope et auxilio complurium, quos adducit, Antistitum ac Principum, Slauos, Obotritos et Luticos, genti ac nomini Christianorum, praecipue eorum, qui Daniam incolebant, infestos, fuisse aggressum, sed parum felici successu, dum Nicloti, Obotitorum Principis, effecit uitatus et celeritas, ut, rebus infectis, discedere cogerentur. Iste enim Niclotus, de illorum aduentu certior factus, omnibus, quae ad resistendum illis necessaria uiderentur, comparatis rebus, irruptionem in Vagriam, finitimasque terras fecit, urbes uicosque diripuit, et, quamplurimi, qui resistere conarentur, interfectis, memorabile hostis barbari exemplum reliquit. Et quanquam, fidei Christianorum se se permisuros, polliciti ad extrellum fuerant, tamen falsa spe animos illorum lactarunt. Pluribus de his legendus Helmodus Chron. Slau. L. I, ad an. c. 947, cap. 62, sqq. Albertus, Stadenis, ad hunc annum, f. 273, edit. Argentorat. c. 1018. Ad hunc Fabricii locum non praeter rem erit, obseruare, Nostrum anno septimo et quadragesimo, quo suscepit haec fuit expeditio, nondum fuisse Numburgensem Antistitem, sed, Vdonem adhuc uixisse, ex supra dictis perspicuum est. Huic enim Vdoni, anno post, quam in Slauos Saxoniae Antistes profecti sunt, mortuo, successit Noster, adeoque tum temporis nondum in Antistitum relatus numerum fuit. Tandem Magdeburgensis constitutus Antistes plura commisit, et anno signatim LVII Brandenburgum expugnauit, et ope Saxonum Friderico, Marchioni Brandenburgico, eripuit, teste Auct. Chron. Mont. Ser. ad h. an. quod uero anno post Fridericum recepisse, Fabricius auctor est Rer. mem. Saxon. ad annum, quem praedixi, LVII, f. 194. Confer. Caspar Sagittarius in historia Marchiae Soltuuedelenis, qua potissimum Alberti Vrsi uitam et res gestas exposuit, § LXX, p. 59.

XII.

XII. Viuebat tum temporis Henricus, Boioariae et Saxoniae *Dux*, propter animi magnitudinem, Leonis nomine illuminis. Hic, cum potentia non minus, quam gratia et fortuna, cresceret, reliqui Principes, aemuli eius gloriae, quos Helmodius recenset, Imperatore Aenobarbo absente, et in Italiam quartum profecto, societatem coeunt inter se, et tempestiu*e* uicino potenti, ne maiores suuat uires, occurrendum, et animi ferociam, quam praeferebat, coercendam, ducunt. Itaque coniunctis illum viribus adoriantur, et munimentum ad Oram, *fl. Haldeſlebiā*, cui Bernardus, C. Lippiensis, ab Henrico L. praefectus fuerat, circumdant, in quibus Vicmannum primas tenuisse, ex Helmoldio in Chron. Slau. L. II, c. 7, 8, itemque Cranzio, Saxon. I. VI, c. 19, et aliis, patet manifestumque est, sed operam frustra sumperunt, et soluere obsidionem coacti sunt, dum incolae oppidi, dolo usi, se ipsos ab obsidione isthac liberauerunt. Erat enim oppidum natura loci satis munitum, et aequo, ad defendendum, loco situin. Palus, quae adiacebat, prato haud absimilis, oculis, propter cespitem, diiudicari non poterat. Eo cum collocasset tormenta Vicmannus, Haldeſlebienses, igne supposito, incenderunt cespitem, quo demum facto, moles omnis subsedit repente, et igni conflagravit. Chron. Mont. Ser. p. 46, Annales Pegauenses ad annum cr̄c c. lxxix, Henr. Meibomius in Notis ad Gerardum Stederburgensem de Henrico L., Tom. Ier. Germ. f. 437. Henricus quoque Leo, comparata manu, obstatit illis, nec modo repressit, sed, urbibus captis, deuastatisque agris, persecutus est eos, et usque ad Magdeburgum perrexit. Vid. praeter Helmoldum, scriptor Chronicī Montis Ser. ad annum LXVII, et sequentem, ubi hanc Haldeſlebiā distinguere uidetur ab ueteri Haldeſlebia, quā anno LXVII cum castro, Niendorffio, destructam ab Vicmanno, illam uero ope ceterorum, qui eo conuenerant, anno post, octauo et octogesimo, circumdatam, refert, in quo ab Helmoldo,

C

in an-

in anno praesertim definiendo non nihil discedit. Hardenicus, Antistes Bremensis, cum Conrado, Episcopo Lubencensi, ut rebus suis consulerent melius, saluique esse possent, ad Vicmannum Magdeburgum confugiunt, idemque Hardenicus redux factus diem obiit supremum, alter uero, Conradus, cum Henrico L. in gratiam rediit, cum eoque in Orientem proiectus, in itinere uitiae iacturam fecit. Helmoldus L.II, c.9, Cranzius in Saxonia L. VI, c.22, 25 et 32. Anno demum octauo et sexagesimo, uti Helmoldus refert, pax iterum, beneficio Friderici, Imp. in Bambergensi conuentu constituta utrinque est, qui grauiter eos, quod tumultu hoc Saxonico Longobardis materiam defensionis dedissent, reprehendit.

XIII. Ex quo tempore amicitiam renouauit cum Henrico, Saxe, Vicmannus, ut etiam ille, cognita Vicmanni, bello aduersus se suscepto, integritate, fidem huic, redditia tranquillitate, maximam habuerit, quod exinde potest intelligi, quia Henricus L. Anno c.10 c. LXXI, pro superstitione temporum istorum, in Orientem, uisendi Seruatoris monumenti gratia, proiecturus, tutelam regionum suarum, quae amplissimae erant, Vicmanni custodiae permisit, ut docent Arnoldus Chron. Slav. L.II, c. 2, Chron. Anon. ex edit. Mader. ad an. c.10 c. LXXXIX, ubi tam per multum in supputatione anni huius, quo peregrinatio nō suscepit Henricus L., ab reliquis recedit. V. Cranzius in Saxonia L. VI, c. 29, Fabricius rer. mem. Saxon. L.II, ad an. c.10 c. LXXII, f. 198, et Henr. Büntingius Annal. Brunsvicensibus, f.68. Sunt, qui, ex recentioribus cum primis, utope Henr. Büntingius l. c. f. 71, G. Fabricius ad an. c.10 c. LXXXVIII, ex eoque Henr. Bangertus ad Arnoldi Lib. II, c. 20, memorant, Vicmannum Ulrico, Halberstadiensi, qui in Henrici L. regiones irruptionem fecerat, subuenisse, et, commisso proelio, exercitum Henrici L. in fugam dedisse, et, CCC captis, insigni uictoria reuertisse. Scriptores uero illorum temporum, Arnoldus L.II, c.20, Auctor Chron. Mont. Ser. ad an. c.10 c. LXXVII et sequentem, tum quoque

quoque Cranzius in Saxonia L.VI,c.38, expresse Vicmanni mentionem non faciunt, adeoque pro certo affirmare uix audio, Vicmannum adfuisse Vlrico, nisi quis ex uno Arnoldo coniis cere id uelit, qui omnes, quotquot interfuerunt huic proelio, *Orientalium* nomine ab aliis distinguit. Illud quidem ex Monacho Pegauensi ad annum LXXVII constat, Vicmannum retinuisse Vlricum istum, cum, auxilio Ottonis, *Marchionis Misnici*, copias contra Henricum L. in campum produxitset.

XIV. Itaque non perpetua haec Henricum inter et Vicmannum amicitia fuit, sed interrupta iterum, et magna utrinque dissensio animorum est consecuta. Ac nouae quidem similitatis, utrinque excitatae, culpam Fabricius tribuit Henrici L. insolentiae, qua multo facilius gratiam, quam sibi comparauitset, effudisset, alienatis a se amicissimis, etiam Vicmanno, cuius tamen fidei commiserat ante res suas omnes, peregrinationem in remotissimas terrae partes suscepturnus. Orig. Saxon. L.II, f.15. De novo etiam, absente Imperatore, contra Henricum L. Principes, quos praedixi, omnes conspirauerunt. Horum antesignanus fuit Philippus, Antistes Coloniensis, qui anno c. 10 c. LXXIX in fines illius irrupit, et milites, depopulando usque ad Hamelam, ad Visurgim sitam, progressi, ne sacris quidem aedificiis pepercerunt. Auctor Annal. Mont. Ser. Philip-  
pum ab Vicmanno multo cum labore, docet, cohibitum fuisse, et pacem renouatam. Omnem belli huius occasionem ortam, refert, propter hereditatem Ottonis de *Affe*, nepotis Philippi, et Christiani, *Comitis de Aldenburg*, ad quam repetendam Philippus, Coloniensis, magna militum copia, contra Henricum est profectus. Quamuis de eo nihil habeat Arnoldus, tamen ex eo intelligi potest, has res nouae dissensionis, eiusdemque acerbioris, initium dedisse. Nam, Henricus Leo, cognito Friderici, Imp., ex Italia reditu, obuiam illi Spiram procedit, et illatam sibi ab Colonensi iniuriam, exponit. Diem igitur utrique, et Henrico, et Philippo, dixit Fridericus Aenobarbus,

bus, quo, ad dicendam causam, Vormatiae Vangionum conne-  
nirent, cum primis uero Henricum L., ut ad querelas, quas  
contra eum reliqui Principes detulerant, responderet, eo ue-  
nire imperauit. Sed enim, Henricus Leo, timens offendio-  
nem Imperatoris, quod auxilium in Italiam rursus eunti de-  
negauerat, comparere noluit, neque, cur remanserit, per a-  
lios se excusauit. Post id factum Imperator Magdeburgi ite-  
rum causae dictionis diem constituit, et, cum ibi sistere se  
nollet, ipse Haldeflebiā, quo se uenturum Henricus polli-  
citus fuerat, profectus, cum eo agere de conditionibus insti-  
tuit, sed, cum Henricus magnam pecuniae summam, quam  
postulabat ille, soluere detrectaret, rebus infectis, hinc di-  
fcessum fuit. Tandem Goslariam quoq[ue] uenire recusauit,  
ubi, re ab Imperatore proposita, omnium suffragiis Princi-  
pium Antistitutumque, nisi quartum uocatus compareret, pro-  
scriptione dignus est iudicatus. Ex sententia igitur illorum  
Vurceburi, cum non adesset Leo, imperii hostis habitus est,  
et precibus Vicmanni, uti quidem Fabricius obseruat, Rer.  
Mish. Vol.III, f.14, de Henrico II, Leone, Imperatori ex parte  
reconciliatus, et trium exilio annorum est mulctatus. V.  
Arnoldus ad an. c.15 c LXXIX, L. II, c. 24, Gerardus Stederbur-  
gensis de Henrico Leone, apud Meibomium, Tomo I, f. 43r,  
ubi, trium annorum poenam, in conuentu Goslariensi, fuisse  
dictam, scribit. *Monachus Pegauiensis* ad hunc annum et seq.  
p. 263, sq. Albertus Stadensis Chron. ad an. c.15 c LXXX, f.m. 624.  
Io. Auentinus Annal. Boiorum L. VI in extremo, qui, omnes  
ratam habuisse Leonis poenam, probat, et, in his fuisse *Vicho-*  
*mannum, Maidenburgensem*, testatur. Cranzius in Saxonia L.  
VI, c. 38. Addatur illustris C.S.Schurzfleischius in disp. de Hen-  
rico Leone.

XV. Ea dum geruntur, et alii, ad persequendum ulterius  
Henricum, pergunt, Vicmannus quoque Haldeflebiā obside-  
re iterum coepit, id quod A. c.15 c LXXXI factum, discimus ex  
Arnol-

Arnoldo, L.II, c.25, Annalibus Montis Ser. p.46, Pegauiensibus  
ad A. crōc LXXIX. Complures cum Vicmannio urbem circum-  
dederunt, in quibus cum Philippus, Colonien̄sis, viribus suis  
confisus, antecellere reliquos auctoritate, et belli gloria cu-  
peret, illi, aegre huius arrogantiam ferentes, discesserunt, quos  
non ita multo post et Coloniensis ipse est subsecutus. Vic-  
mannus autem perstigit ibi, et extēnum experiri auxilium  
conatus est. Ipsa uero urbs, quam totius Saxoniae coeno-  
bium uocat *Monachus Pegauiensis*, propter flumina, quae  
moenia ex utraque parte praeterfluent, aditu difficilis fuit,  
eamque non minori cura Bernardus, *Comes Lippiensis*, quem  
urbis praeisdem supra diximus, defendit, uir, Arnoldo iudi-  
ce, rei militaris apprime gnarus. Sed, quam sibi rem ci-  
ues salutarem, putauerunt, ea uel maxime deditio[n]em No-  
stro procurauit. Is enim, aggere iacto, aquae decursum pro-  
hibuit, quo pacto, aqua in altitudinem perducta, nauibus at-  
tingere oppidum potuerunt, postquam tres menses, et ali-  
quanto plus, non exiguum huic operi laborem impendissent.  
Sic in deditio[n]em accepit urbem Vicmannus, ea tamen con-  
ditione, ut ciues oppidani salui, cum suis, oppido excedere  
possent. Consecutus id, quod frustra tentauerat, Vicman-  
nus, subuertit, et solo aequauit, ac uictor Magdeburgum re-  
uersus, cum plausu omnium et laetitia est exceptus. Arnol-  
dus L.II, c.25, ad an. crōc LXXXI, Chron. Mont. Ser. ad hunc an.  
p.46, sq. Pegauiensē ad h. an., p.265, Chronicon Saxonicum  
ad h. an., Gobelinus Persona in *Cosmодромио, aetate VI de-*  
*Friderico I, Imp.*, c. 60, apud Meibom. Tomo I rer. Germ. f.273,  
Gerardus Stederburgensis, qui eiusdem cum Henrico L. aeta-  
tis fuit, et res, quas ad extremum gessit ille, peculiari libello  
descripsit, apud Meibom. l.c. f. 430, sqq. Cranzius Saxon. L.VI,  
c. 39, Büntingius f. 72, Fabricius rer. Sax. L. II, f.201, et orig. Sax.  
L. V, f. 557.

XVI. Fridericus, Imp., cognito, Henricum L., urut impe-  
rii be-

rii beneficiis, communis Principum suffragio, destitutum, nihilominus suis oblistere hostibus conari, ipse, collectis militibus, in Saxoniam properauit. Ascitis ille in eius rei auxilium Vicmanno Nostro, et Bambergensi, Antistitibus, itemque Fuldensi, Corbeiensi, Hirschfeldensi, Abbatibus, et Ottone, Marchione Misniae, multisque ex Bauaria Sueviaque nobili dignitate uiris, Albim, fl., transgressus, Lubecam, nonnissime ab Henrico L. munitam, subsidiisque bellicis instruam, et complures finitimas urbes, cepit, Henricum propulit, eiusque animi ferociam paululum fregit, et, nullis denique adductus precibus, dictae reum poenae, ex decreto omnium Imperii Principum, pronunciauit. V. Arnoldus, Lubebensis, l. II, usque ad finem, c. 34, et, qui huius uestigia accurate sequitur, A. Cranzius in Saxonia, l. VI, c. 42, seqq., nec diffitetur illud in Vandalia sua l. V, c. 8.

XVII. Comitiis quoque illustrioribus, si qua sunt instituta, interfuit Vicmannus. Breuitatis causa eos Principum conuentus, de quibus supra, in commemorandis Henrici L. rebus, et alias, dixi, praetermitto, et illos tantum affero huc, quorum non ubique apud Scriptores nostrorum temporum mentio infertur. Huc spectat iste, qui Papiae c. 15 c. LX, maxima Antistitum frequentia, est habitus, in quo Victor, posthabito Rolando, Pontifex R. est creatus, Nosterque inter omnes, qui adfuerunt, proximum ab Coloniensi locum tenuit, testibus Radenico de gestis Friderici I, l. II, c. 70 et 73, et Chron. Montis Ser. ad h. an. p. 32. Neque minus celebris ille est, quo, anno c. 15 c. LXXVII, mortuo Calixto, Purpurati et Antistites Germaniae, Principesque, magna copia, de redintegranda inter Alexandrum, Pontificem R., et Imperatorem Fridericu concordia, Venetias confluxerunt. Praecipuum huius concordiae conciliatorem fuisse Vicmannum, testatur Chronicon Montis Sereni ad h. an. Accedit Otto de S. Blasio in Appendice ad Lib. VII Chron. Frisingensis, c. 23, ad an. c. 15 c. LXXI, qui

qui, per errorem, eo in loco Nostrum vocat Antistitem Hildesheimensem, cum tamen eo iam tempore Magdeburgen-sis esset, nec antea Hildesheimensis, sed Citicensis, uti supra dixi, fuit. Ceterum, Vicmanni industria, Imperatoris magnitudo animi eo deducta est, ut in gratiam cum Pontifice redierit, et ad pedes eius se proiecerit, uti ex eodem Chro-nico probat Fabricius Orig. Saxon. L.V, f. 543, ad h.an. Quan-quam Arnoldus, ne id praeteream, Lib. II, c. 16, uni Philippo, Coloniensi, pacis reconciliationem tribuat, contra scripto-rum, quos praedixi, consensum.

XVIII. Magna eius auctoritas cum apud Principes, tum a-pud ceteros, praesertim Antistites reliquos, fuit, eamque si-bi non minus prudentia, quam potentia et felicitate, com-parauit, effecitque, ut nihil fere, inscio ipso et inconsulto, su-ſciperent illi, fidei eius permultum tribuerent, et in amici-tiam peruenire exoptarent. Perspexerat eam Conradus, Marchio Misnensis, cuius ille erat consobrinus, atque hinc Vicmannum unice dilexit. Tandem anno cr̄o c lvi, cum, ul-tilium uitae tempus appropinquare, intelligeret, testamento successores regni constituit, possessiones item coenobio Sereno obtulit et confirmavit, ac tempestiuē, ne, defuncto sese, con-tentiones de hereditate orirentur, prospiciendum, cogita-uit. Eam igitur sententiam, ut firmam deinde ratamque ha-berent filii, testes huius rei Vicmannum Nostrum, et Alber-tum, Marchionem Brandenburgicum, appellauit. Quo fa-ceto, in coenobium istud, multis a se redditibus locupletatum, \* ingressus, uitam religiosam, more illorum temporum, am-plexus est, atque ab Vicmanno, depositis splendidioris ge-neris uestibus, alias, easdemque ordini cum primis sa-cro accommodatas, sibi imponendas curauit. In quo uitae statu cum per breve temporis spatium uixisset, deceſſit tan-dem, et ab Vicmanno in templo huius coenobii humatus est, monumentum nactus inter uxorem suam, et Mechtildem, ſo-rorem,

rorem, Vicmanni matrem. V. Chron. Montis Ser. ad an. cr. CLVI, p. 27, 28, 29 et 205, Fabricius Orig. Sax. L.V, f. 541.

\* *Observandum hic est, Conradum non primum condere coepisse hoc coenobium, sed, anno iam tum quarto et uicesimo, seculi huius XII, ab fratre suo, Dedone, extrui coeptum, sibique ab eodem, in Palaestinam, officii sacri causa, iter suscepuro, permisum perfecit, atque anno denum sexto et quinquagesimo, multis redditibus annuis locupletauit. Quo pacto Auctor Chronicus Montis Sereni, ex quo haec refero, optime secum consentit, cum utrumque, Dedonem et Conradum, p. 39, Ecclesiae Sereni montis fundatores uocat, atque illum quidem, quia, teste eodem, p. 2, condere coepit, hunc uero, quoniam coepit ab fratre perfecit. Qua ratione multos, ex recentioribus praesertim, uideas, Conradum quoque, Coenobii huius conditorem, appellare.*

XIX. Sic Vicmannus, uti ex hactenus dictis constat, uarii belli negotiis impeditus quidem fuit, interim tamen, Cranzio auctore, ecclesiae curam non plane posthabuit, quin potius, praeter ea, quae modo dixi, sacrorum iura quatuor arcibus auxit, corruptos seculimores inspexit accurate et emendauit, disciplinam in primis sacram, quaata potuit, cura et diligentia, conseruauit. Metrop. L. VI, c. 35. Erant illis temporibus admodum usitati ludi equestres, quos Torneamenta aeuui huius nominant scriptores, quibus iuuenes, nobili loco nati, decertare inter se consuerant. Cum uero unius anni interuallo sexdecim equestris huius ordinis periissent, Vicmannus, ei rei occurendum, arbitratus, censura sacra nortandos, iudicauit, quotquot uel Iudricis istis certaminibus interfuturi essent in posterum, uel iis celebrandis locum concederent, qui uero uita in iis priuarentur, Sacris publicis, atque usu sepulturae, interdixit. Georg. Schubartus in disp. de Ludis equestribus, cap. VII, § II, Vicmannum, affirmat, hos ludos plane non concedere, ex Innocentii II et Eugenii III canonibus uoluisse. et cap. II, § XII, ubi hoc certamen inter priuata et minus solennia refert, quae prohibere utique potuerit Antistes, solennia autem non potuisse, quia ab Imperatoribus habita ea fuissent, imo etiam indicta.

XX.



XX. Nihil ea lege, nouissime lata, permotus Conradi, Diterici, *Marchionis*, fil., ostendendae uirtutis causa, certamen eiusmodi iniit, nec ita multo post, mortifero confectus uulnere, expirauit. Ea recognita, Vicmannus, quem tum temporis in Austria commoratum, auctor Chronicus Montis Sereni indicare uidetur \*, missis nunciis, eum sacro et solenni sepulturae usu prohibuit coherestari. Procedente uero tempore, cum idem ille Antistes, Halis Saxonum indictio conuentu sacro, magna Sacerdotum frequentia, adesset, ad eum adierunt Conradi interficti Parens, Ditericus, *Marchio*, et fratres eius, Otto, *Marchio* Misnicus, Dedo, Groizensis, Henricus, Vetenensis, et Fridericus, Brenensis, *Comites*, cum permultis aliis equestri dignitate uiris, qui, ad pedes Vicmanni, Antistitis, prolapsi, reperitis identidem precibus, multisque cum lacrymis ab eo desiderauerunt, uti occiso sepulcri locum inter reliquos, ritu Christiano humatos, concedere ne diutius recusaret. Nec enim subito ex uulnere isto, quamvis mortifero, decepisse, docuerunt, sed ueniam adhuc admissorum accepisse ab Sacerdote quodam, cui fidem moriturus dedisset, se, siquidem recuperaret sanitatem corporis, nunquam tale quicquam commissarum, quin potius pro eo, quod perpetrauisset, suppliciter apud Deum uelle deprecari. Quibus ille Sacerdos pollicitationibus inductus, ueniam ei, rogatu propinquorum, dedit, atque a poena proscriptionis sacrae, quam uulgo *excommunicationem* uocant, liberum pronunciauit, et cruce, prouti petierat, signauit. Ea res ut est uno omnium, qui affuerunt uulnerato, Principum ore enunciata, atque ab Sacerdote, ex uoluntate et iussu Vicmanni, iure iurando confirmata, sepulcri tandem locum concessit, ea tamen conditione, ut et Principes, ad tumulum defuncti, religiose promitterent, se nemini amplius

D

copi-

copiam posthiac exercitiorum huiusmodi facturos, et Pontificis R. super ea re sententiam prius expectarent. Accepto denique per Vernerum, qui Romanum alegatus fuerat, Pontificis consensu, sepultus est in monte Sereno, extra templum, iuxta portam, quae ad Occidentem spectat, quinto decimo die Calendas Februarias, nactus sepulcri locum, Vernerum, fidelem, quoad uixit, administrum, quem Heri sui causa Romanum profectum modo dixi. V. Chron. Montis Ser. ad an. c. 10 c. LXXV, p. 40, sq. Fabricius Orig. Sax. L. V, f. 544, sq.

\* *Fabricius dicto in loco paulo aliter, atque ex auctore Chronicorum Montis Sereni docuimus, scribit, cum anno post, quam ille, factum, commenorat: tum uero etiam alium ei rei locum, ubi euenerit, designat, dicens, Conradum, in Austria proiectum, Vindobonae, certamine inito, interisse, postea uero delatum in partiam, magno suorum luctu, qui, propter Vicmanni interdictum, tumulo eum inferre, in loco publico, prohibiti fuissent. At, consilenti auctorem Chronicum praedicti patet, non Conradum, sed Vicmannum, in Austria fuisse commemoratum, qui, comperta Comitis caede, per nuncios, inde missos, ab sepultura, legibus, exclusum, significauit.*

XXI. Multas quoque urbes et loca acquisiuit pariter, atque sub potestatem suam rededit, ex quibus aliquot hereditate accepit, nonnullas coemit, complures, ex hostium manibus ereptas, refecit, priuilegiisque et beneficiis amplificauit. Hereditatis iure peruenisse ad eum Leibichun, Biernam, et Seburgum, Vernerus in Chron. Magd. perhibet in eo. Arcem Erxlebiam coemit A. c. 10 c. LXVI. Itemque Comitatum Sommerseburgum, ab Alberti, Comitis, circa annum c. 10 c. LXXX sine prole defuncti, sorore, Adelheide, Sacerdote religiosa Quedlinburgensi, comparata sibi et possedit, renitente in primis Guelforum Duce, Henrico Leone, qui, propter propinquitatem, Comitatus huius et dignitatis Palatinac legitimum se heredem dixit.

Hinc

Hinc Henricus Vicmanno, *Comitatum occupanti*, bellum  
intulit, et ipsam arcem funditus euerit. V. Meibomius de  
origine Helmstadii, Tomo III, f. 229, et in primis in Chro-  
nico Marienthalensi, f. 252, sq. 257. ad. Cranzius in Saxonia  
Lib. VI, c. 27, C. Sagittarius in *Antiquitatibus Alsatensibus*,  
et *Palatinatus Saxonici*, § 33. Eo etiam conferri omni-  
no meretur Consultissimi Viri, D. Casparis Henrici Hornii,  
I.C., disputatio, de *Comitibus Palatinis Saxoniae* § VI, p. 8.

XXII. Illud autem in uitio ponit, et avaritiae Vicmani-  
ni tribuit, Auctor Chronicus Montis Ser. p. 38, quod Eccle-  
siae Nienburgensis \* censum uiginti talentorum, qui ad  
Imperatorem pertinuit, seruitium item, et ius *patronatu*-  
*s*, iurisperitorum more appellatum, ab Friderico Ae-  
nobarbo redemit, eique pro his oppida duo, quae in Sue-  
via eo usque tenuerat, dedit, salvo tamen iure, quo Eccle-  
sia adhuc *in suis possessionibus* usa fuisset, manente. Eo  
tibi peruenit, et comiter ab curatore exceptus est, et copi-  
am eius loci ac diuicias perspexit. Hinc plura concipi-  
scere coepit, et oppidum *Niemeze*, omnemque illi adiacen-  
tem tractum, quem Otto III Ecclesiae isti concesserat, atque  
urbes, *Tribus* et *Lubichob*, ab Henrico II, Imp., adiectas, *ab-*  
*stulit*, easdemque Imperatori Friderico, pro prouincia,  
quae *Dama* dicitur, dedit, promittens quidem, se ablata  
restituere bonis aliis uelle, quod tamen non praestitisse,  
scribit. Qua occasione tractus ille Damensis Magdebur-  
gicae metropoli subiectus est, postea eosdem, quos Iutre-  
bocum, cum quo arctissimo deinceps nexus conjunctus est,  
Dominos habuit, uti alias de hoc ipso copiosius est dictum.  
confer. dissertatione nostra de Iutreboco, sub praesidio Cele-  
berrimi Viri, C.S. Schurzfleischii, habita, § XXVI.

\* *Niemburgum, in Anhaltinis, ad Bodam, fl. situm, et initio ca-*  
*strum, Northinge, est appellatum. Eius fit mentio in diplomate,*  
*Magdeburgi c. 1000 xxxviii dato, quod suae, de Principibus Anhali-*  
*tinis, historiae inseruit Sagittarius ad hanc annum, p. 37, ex quo in-*  
*telligi*

telligi potest, litem super hoc castro inter Antistites Magdeburgicos et Anhaltinos ortam, eo demum tempore sublatam penitus et ad finem fuisse deductam.

XXIII. Huc referri solet Prettinum, oppidum, secundo ab hac urbe lapide, propter Albim, fl., situm, de quo cum Gerungo, Antistite Misenensi, ad quem spectabat praecipue, Magdeburgi, in praesentia quatuor aliorum Praesulum, A. c. 10 c LXV, pridie Calendas Februarias transgigit, et cum eo commutauit Lubenicium, oppidum, G. Fabricio teste Vol. II de Annal. Vrb. Misn. L.I, f. 32, ad hunc annum. Addatur H. Meibomius, de Pagis Saxoniae Tom. III R.G. f. 107, sub Prettino, ubi A. c. 10 c LXIII factam hanc permutationem scribit, et f. 104. Quo uero demum tempore ad Saxoniam nostram rursus peruenierit, nihil illi tradunt, nec inquirere ea huius est loci, sed aliis, documentis subsidiisque instructis, relinquendum.

XXIV. De iis, quod Iutrebocum, ex hostium manibus exceptum, metropoli Magdeburgicae summisserit, quod aedificiis et turribus ornauerit, quod priuilegiis item, et immunitatibus iisdem, quibus Magdeburgum donauit, (donauit autem quam plurimis) amplificauerit, copiose a me dictum est, et priuilegium simul ex manu scripto allatum, in disputatione, quam attuli, de Iutreboco. Vnum illud addo, quod Cinnense, propter Iutrebocum, coenobium percelebre A. c. 10 c LXXI exaedificauit, aedificiis, antiquitus et eleganter constructis, ornauit in primis, et permultis redditibus locupletauit, testibus Pomario et Vernerio in Annalibus Magdeburgicis, Dionysio et Angelo in Antiquitatibus Iutreb. MSC. Primus, quem ei coenobio praeposuit, Abbas fuit Ryzo, ut idem Dionysius annotauit, qui Ryzo autem A. c. 10 c LXXIX ab Slavis, Litheuuizen et Pomeranis, qui, vocati ab Henrico Leone, prouinciam Iutrebocensem inuaserunt pariter, ac deuastarunt, interfectus est. V. Chron. Montis Ser.

Ser. ad h.A. p.43. Huius tamen monasterii, quod non o-  
miserim, Vitechindus, scriptor seculi X, Lib. II meminit, ex  
cuius quidem uerbis haud obscure illud colligamus, licet,  
per celebre iam tuni fuisse, quia domicilium Regibus Princi-  
pibusque praebuit, Ottoni quippe Magno, eiusque fratri  
Henrico, et Ludolpho, filio, qui patri rebellauerat, iique o-  
mnes, de belli pacisque negotiis tractaturi, eo magna fre-  
quentia conuenerunt, quemadmodum id acta, ab Vite-  
chindo allata, testantur. Neque aliud, praeter nostrum, ibi  
posse intelligi coenobium, ipse H. Meibomius ad Vite-  
chindi locum, his usus uerbis, contendit: *Cinna, uicus Dioe-  
cessis Magdeburgensis, olim illustri monachorum coenobio, a  
Vichmanno, XVI Archiepiscopo, fundato, inclaruit.* Quo  
tempore et ipsum Iutrebocum iam fuisse extrectum, per-  
spicimus ex Ditmaro, L.VI.

XXV. Nulli praeterea fides eius, nulli opera, aut com-  
mendatio, defuit, sed, summa in omnes clementia usus,  
humaniter ad se uenientes excepit, et ope sua texit, consi-  
liisque, quantum potuit, iuuit. Enimuero, A.cro c li, ui-  
ro cuidam religioso, cui Arnoldo nomen fuit, consilium  
subministravit, quomodo felicius *Praepositi* munus, cui  
destinatus fuerat, in templo Montis Sereni impetraret. E-  
lectus iam fuerat, sed Conradus, *Marchio*, alium, Eccardum  
nomine, Ecclesiae Halensis Sacerdotem, commendauit.  
Horum Arnoldus auctoritate, a quibus fuerat electus, per-  
motus Geueckensteinium, quo Fridericus, Antistes Magde-  
burgicus, qui inaugurationis ritum administrare con-  
suevit, *Marchio* ipse et Vicmannus, conuenerant, profec-  
tus, se, consilio Vicmanni, arbitrio *Marchionis* permisit,  
cuius uoluntati et sententiae, siquidem placaret, cedere  
mallet, quam, inuito eo, coetui sacro damnum inferre.  
Quod ea spe fecit, fore, ut modestiae suae causa, quam  
praetulit, factam ab illis electionem ratam, firmamque

habet

haberet Conradus, mitteretque Eccardum. Quod quidem non displicuit Conrado, sed collaudauit modestiam uiri, interim uero, quoniam Eccardo certissimam munera consequendi spem fecerat, sententiam retractare noluit, atque adeo Vicmanni consilium successu' destitutum fuit. V. Chron. Mont. Ser. ad A. c. 10 CL, p. 23. Idein ille Arnoldus *Luppoldisberge* postea *Praepositus* datus est, teste eodem Historico, p. 24.

XXVI. Multos ipse *Episcopos* solenni ritu consecravit, utpote VVilmarum, XIV, Sifridum XV, Baldemarum XVI, et Allexium XVII, Brandenburgenses, teste *Anonymo Chronicorum Magdeburgici*, apud Meibom. f. 319. Sigfridum quoque, defuncto A. c. 10 CLXVI Arnaldo, *Abbate* D. Ioannis Baptistae, successorem illi constituit, contra aliorum, uti ex Chron. Montis Sereni patet, uoluntatem, p. 34. addatur Meibomi Chronicum Bergense, f. 300, num. XVI. Neque minus coenobia et templa extruxit, quam, quae uetusitate prolapsa fuerunt, refecit iuxta, ac praesens inaugurauit. Atque horum permulta sunt, quae refert *Auctor Chronicorum Mont. Ser. ad annum c. 10 CLXIII*, p. 33, A. c. 10 CLXXXIII, p. 48, A. c. 10 CLXXXV, v. KL. Aug. p. 50. Halis quoque Saxonum monasterium, D. Mauritio sacrum, instituit, A. c. 10 CLXXXIV, et amplificauit, ac primum *Praepositi* nomine eo imposuit Dedonem, l.c.p. 62, sq.

XXVII. Primus fuisse dicitur, qui numeros ponderis maioris, eosdemque quotannis bis, cudendos curauit, quod neminem ante Vicmannum fecisse, Chronicum Magdeb. *Anonymi* apud Meibom. testatur. Cuiusmodi numnum produxit nuper I. C. Halensis, D. Io. Petrus Ludouicus, ex eoque splendidum et magnificentum Antiftitis uitiae cultum intelligi posse, non incommode arbitratur, in libello Germanico, quem inscripsit *Introductionem in rem nummariam mediæ aevi*. Ceterum libertatem cudendi monetas, ab Imperatore-

toribus quondam Antistitibus Magdeburgicis datam , ex  
diplomatibus, quae hic ualent, et scriptoribus fide dignis, ac  
in his ex Arnaldo, Lubecensi, confirmat laudatus supra I. C.  
Celeberrimus, D.C.H. Hornius, in elegantissima disputati-  
one, de *Burggrauis Magdeburgicis*, haud ita pridem habita,  
§ 37, p. 67. Quac documento sunt, magnam Vicmanni, pro-  
uti *anonymus Chron. Magdeb.* et Cranzius de eo sentiunt, et  
auctoritatem , et potentiam, fuisse, qua Antecessores suos  
non aquauit modo, sed permultum quoque superauit.

XXVIII. Ciues ope sua tegere et leuare non destitit,  
sed beneficiis et priuilegiis, cum alios , tum opifices, et in  
his Magdeburgicos, donauit, multaque, quae ad mores et  
instituta eius loci faciunt, constituit , quae suo adhuc tem-  
pore seruata, meminit *Anonymus Chron. Magdeburg. l.c.*  
quem aetate seculum sextum decimum attigisse , ex fine  
Annalium probatur. Portensis monasterii diploma, quod,  
ab Vdone I, antecessore, editum confirmauit A.c. 10 c liii,  
Pertuchius conseruauit, in *Chron. Port. c. 2, p. 27,* einsque  
meminit Sagittarius in *disp. de Episcopis Numburgensibus*,  
§ XV. Idem Theodorico, *Abbatii Portensi*, contulit duos  
mansos \* in *Heseler*, unum in *Tribune*, duos mansos cum  
curia in *Numburg*, et cetera, quae Sagittarius dicto loco af-  
fert, quorsum in praesenti remitto Lectorem.

\* Mansum interpretatur Meibomius de *praedio sive latifun-  
dio, in quo quis manere, ac familiam alere potest, in Vindiciis Bil-  
linganis, Tom. III rer. Germ. f. 38.*

XXIX. Superest, ut de uitiae excessu, et quae sequuta illum  
sunt, paucis exponamus. Quod uero antequam fiat a nobis,  
de eo, quod illum antecessit, et loco ominis non boni est  
habitum, non nihil erit praemittendum. Quinque fere  
menses, ante, quam uitam finiit, Calbae cum prandio usus  
esset, accidit, ut histrio aliquis, quorum consuetudine ho-  
minum magnopere alioquin est delectatus, ad eum ingref-  
sus sit, quem conspiciens, exhorruit, et magna uoce, ut  
exiit,

exiret, clamare coepit. Hic uero, nihil ea re motus, risu exicitato, propius accessit, existimans, per iocum ea dici ab Vicmanno. At uero hic ipse, rei indignitate adductus, elata iterum uoce, agitatisque manibus, ut eiicerent histrionem, preecepit. Quod cum, praeter consuetudinem, fieri animaduertissent, qui circumsternerunt, apparitores, mirati sunt, et, magni quid portendi, existimarentur. Tandem excessit e uita, in praedio, quod *Cusa* dicitur, II Calendas Septembres, A.C. c xcii, postquam Pontificatus suo preefuerat unum et quadraginta fere annos, non minus uictoriis, quas, uiribus preeualens, reportauit, quam pacis studio, et liberalitate maxima illustris. V. Chron. Mont. Ser. ad hunc A.p. 58 sq. Paulus uero Langius in Chronicu Ciciensi, f. 79r, apud Io. Pistorium, rerum Germ. Tomo I, qui coenobii sui, Cicensis, benefactorem *eximum* uocat, Fabricius Rer. Sax. L.II, f. 102, et, qui hos secuti sunt, recedunt ab auctore Chronicu Montis Ser., et, emortualem eius diem incidisse in annum quartum et nonagesimum, scribunt. Sed ego, potissimum auctori Mont. Ser. credendum, arbitror, qui non multo post in eodem coenobio, quod ad Vicmanni imperium spectauit, res suas, ex tabulis, ibi afferuatis, descripti. Defuncti corpus, quod amplius fuisse, ex eodem Chronicu discimus, histrio iste secuit postea, atque intestina eiecit, quae in praedio, in quo mortuum, diximus, infossa sunt, corpus autem, sale conditum, deductum est Magdeburgum, atque in templo majori, ante altare S. Crucis, sepultum. Chron. Mont. Ser. p. 58, lq. Animus erat, Vicmanni inscriptionem sepulcri una afferre, quoniam uero necdum eius mihi copia, sedulo licet inquirenti, fieri potuit, in iis, quae ex scriptoribus protuli, acquiescendum erit.

XXX. Vicmanno, uita funeto, qui succedebat, praeter Ludolphum, repertus est nemo. Hunc enim Vicmannus ipse humiliatum loco, cognita pueri docilitate ingenii, educauit, Lutetiamque Parisiorum in ludum misit, inde, post annos uiginti, reuersum paruulis docendis preeesse iussit, mox cum se magis illi uitae elegantia ac morum suavitate commendasset, in *Canonicos*, ut uocant, asciuit, sieque recta educatione ad imperium formauit. Langius Chron. Cic. loco praedicto, Cranzius Metrop. L. VII, c. 25

AB:97685


X2205398

VB78

VB17



B.I.G.



6.  
Q. D. E. V  
AVSPICII  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
FRIDERICI AVGVSTI  
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI  
ETC  
EX HISTORIA SECVLIXII  
DE  
**VVICMANNO**  
ANTISTITE MAGDEBURGICO  
PRAESIDE  
M. GODEFRIDO HECHTIO  
IVTREB. SAXONE  
V NONAS MAIAS  
A. R. G. CIO CI C C X  
DISSERET  
RESPONDENS  
IO. GEORGIVS MERCKERVS  
MVGELENSIS SAXO  
VITEMBERGAE IN SAXONIBVS  
EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDTERI ACAD. TYPOGR